

BX 1749

LIBRERIA HABERENTI ET EXHIBITI LATRA

TG

V.I
1883

N.I

ORIUS DE THEODOLIGIA LIBRI. DOCTRINA THEODOLIGIA

IN COMITATIBUS AEGAEI BOREOGRARICIS SINUARI. SPLENDENS HOCCE CETERIS

CURSUS THEODOLIGICUS

DISCIPLINA THEODOLIGICA ET MONTIS

NOVA EDITION

AD LUDOVICUM ALFONSI MONTIS ACQUARTAVERE. MEDIOGRAPHE EPHESAE

MONTIS PRIMUS

SIMILIS TEXTUS MONTIS PRIMUS

LIBRUS DE MONTIS PRIMI MONTIS THEODOLIGICO. DE MONTIS PRIMI THEODOLIGICO.

IN PIRAE LUGDUNI DE SISTO I. HU



FONDO BIBLIOTECARIO
VALVERDE Y TELLEZ

SIGNED

PARISIIS

LUDOVICUS ALIAS. BIBLIOTHECA

13. TIT. DECIMUS. 13

H. HEDCETZI

LECTORI

Ad divinæ Sapientiæ inaccessiblem lucem, et ad caliginem montis, de quo loquitur Deus, non proprio ausu irruentes, sed ipsius invitatu ex auxilio freti properamus. Nec mirari oportet, quod Divinæ Sapientiæ mons caligine tanta offunditur, et absconditur: nam summa cognitionis humanae altitudo quæ de Deo in hac vita haberi potest, non nisi in caligine Deum tangit, cœlum videt: « Per effectus enim (inquit D. Thomas III contra gent. cap. XLIX.) de Deo cognoscimus quia est, ac aliis supereminens et ab omnibus remotus, et hoc est ultimum et perfectissimum nostræ cognitionis in hac vita (ut Dionysius dicit in libro de mystica theologia) cum Deo quasi ignoto conjungimur. Unde et ad hujus sublimissimæ cognitionis ignorantiam demonstrandam, de Moyse dicitur Exodi xx, quod accessit ad caliginem, in qua erat Deus. » Non potest creata infirmitas ad Deum ascendere in seipso, magis autem descendit Deus ad nos, sicut Exodi xix, scriptum est: *Descendit Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus.* Nec enim in ipso etiam montis cacumine, id est sublimitate contemplationis, posset Moyses ad Deum accedere, nisi ipse Dominus descendisset; ut ex hoc sciamus, quantumcumque sublimis sit contemplationis gradus in hac vita, ad hoc solum posse pertingere, ut quasi descendenter ad se Dominum amplectatur, non ut ultra ad ipsum in se possit ascendere. Descendit autem Deus caligine quasi nube circumdatus effectuum, per quorum gradus in mentes nostras se transfert, sicut in Psal. xvii dicitur: *Inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus;* quasi ex ipso descensu caliginem induens, qui in se splendor lucidissimus est, apud quem tenebræ non sunt ullæ. Et ideo, dum in fidei velamine quasi in nubibus cœli Dominum majestatis speculamur, dum vestigia pedum ejus nitimur comprehendere, et ad montis caliginem in qua Deus est, per nostræ rationis circuitus accedere laboramus, alter nobis Moyses optandus est, qui solus intra illam admisso caliginem, securioris conductus inde nobis commeatum reportet, sicut ex ipso ore Domini populi illi non minus duræ cervicis, quam intumescentis scientia duxit ille prædicavit et docuit: *Contestare, inquit, populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo.* Tanta est enim humani coris impatientia, et irruptentis curiositatis vis, ut nullis retineri terminis, nullis arcieris repagulis, nullis constringi vinculis possit, ne ultra sibi concessa præsumat, ne ardua scandat, ne illicita tentet, et pro consequenda divinitatis scientia sive in bonum, sive in malum, etiam mortis pomum degustare, appetitus nostri mulier non recusat. In ipso igitur theologiæ limine, quam favente Domino explicandam aggredimur, contestamur omnes quotquot ad hujus sapientiæ montem laborant accedere, ne forte veint transcendere terminos ad videndum Dominum, et sub tali pietatis prætextu

THEOLOGIA I.

008361

(quid enim posset honestius videri, quam ipsam summam honestatem velle videre?) ultra terminos populorum quos constituit Deus præsumamus discurrere. Nam si alio colore, et inanibus propriæ gloriae titulis effuderimus super nos animas nostras, quam excusationem poterimus obtendere, cum nec ad videndum Dominum, septa illa montis et designatos limites transcendere populo concedatur? Propter hoc etiam in initio hujus theologici cursus, brevem summam textus Magistri sententiarum, et contexturam totius summæ theologicæ D. Thomæ proponimus, ut in illis attendamus ad petram, de qua excisi sumus, et ad cavernam laci de qua præscisi sumus, nempe ad veram theologiam, quam scholastico more ex sanctorum patrum dictis et intelligentia, illi primi theologiae parentes peperere: hoc tantum nobis contestantes, ne velimus patrum et antiquorum transcendere terminos, etiam ad videndum Dominum, et pereat plurima multitudo. Pericitatur enim multitudo populi, si nimia sit in speculando doctoris præsumptio. Ergo non altum sapientes, sed plane timentes, ad sobrietatem sapere studeamus, et pro solo divinæ gloriae intuitu, excrescentes propriæ inventio- nis novitates amputantes, in labores aliorum intrebeamus, quia etsi aliis sit qui se- minat, et aliis qui metit, tamen juxta verbum veritatis: *Et qui metit mercedem acci- pit, et congregat fructum in vitam æternam, et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.* Ita aliquando adimpleri mibi voveo, ita expostulo. Vale.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

IN AUCTOREM.

(Apud ECHARD, *scriptores Ordinis Prædicatorum*, tom. II, pag. 538 et sq.

F. JOANNES A SANCTO THOMA, sic in religione dictus, splendidissimum sæculo hoc XVII Hispaniae provinciæ lumen, Lusitanus ortu fuit, Olyssipone natus IX julii MDLXXXIX ac in ecclesia parochiali S. Mariæ de Martyribus lustrali aqua tinctus. Patrem habuit Petrum Poinsot Viennensem Austrium superiori e Pannonia stirpe nobili oriundum, Alberti Austrii archiducis ab intimis cubicularium, eique principi opprime charum, quicum Olyssiponem ubi appulisset, Mariam Garcez, Lisboniensem gente, ipsam no- bilitate insigni, torquatosque regio militaris Christi Ordinis stemmate avos et consan- guineos numerante satam, sibi despondit, ex qua hunc nostrum habuit Joannem. Hic Conimbricæ litteris humanioribus tum et philosophicis instructus, artiumque lauream adolescens assecutus, in Belgum evocatur a patre: eo enim is jam ab anno MDXCVI archiducem Isabellæ Philippi II primogenitæ nuptiis Belgarum principem secutus fuerat. Quo ubi anno MDCVIII advenit Joannes, ut quem totum sibi litteræ devinxerant, theologiam in academia Lovaniensi aggressus est, magistrumque ac præceptor- rem Hispanum, virum hac ætate celeberrimum et eruditissimum S. Thomam de Tor- res, patria Matritensem conventusque S. Mariæ de Atocha alumnum, publicum pro- fessorem feliciter nactus, sub tanti viri disciplina ita profecit, ut inter sodales emine- ret, brevique baccalaurei gradum ascenderit. Tum vero ipsius mentum subiit de se- cessu cogitare, deque abdicandis ultro mundi hujus inquinamentis et illecebris; quod cum præceptori, viro pari pietate et prudentia atque eruditione conspicuo, aperuis- set, laudato ille probatoque discipuli, cui ob acre sagaxque ingenium morumque in- genuitatem mire afficiebatur, consilio, illi auctor fuit ut relicto Belgio Matritum con- tenderet, futuris ibidem voti sui compos. Libenter assensus est Joannes, alacrisque in Hispaniam ac festinus perrexit, Matritensisque de Atocha conventus priorem adiens, inque illius ascisci sodalitium ardentius petens, summum tum sui tum et soda- lium omnium desiderio et gaudio, qui tantæ spei tantarumque dotum sibi adjungi vi- rum gestiebant, receptus est, et veste nostra donatus anno MDCXII aut MDCXIII. Elapsa summa cum omnium approbatione tirocinio, professus mox Complutum missus est suisque philosophiam tum et theologiam edocendis applicitus: quibus munis quin- decim annos circiter perfunctus, tantam in ea universitate sibi peperit famam, ut promoto ad primariam matutinam theologiae cathedralm publicam F. Petro de Tapia, XX septemb. MDCXXX, eidem in vespertina itidem publica suffectus fuerit, quam et de- cem annis solidis rexit, usquequo eodem de Tapia ad Ecclesiam Segobiensem evecto anno MDCXL, ipsam etiam matutinam primariam consecutus est. Quamdiu vero utrum-

que lector et magister administravit, tantam auditorum accivit frequentiam, ut vix unquam alias tot et tantos habuisse credatur. Assequendo illustrandoque doctori angelico praeceptoris suo Aquinati assiduus erat, a quo vel minimum aberrasse summa illi religio semper fuit, cuius et propterea ubique audiit fidissimus interpres. Fidei censor Conimbricensis aliarumque in Hispaniis inquisitionum, tum et supremæ generalis affectus, quam graves multiplicesque ea de causa sustinuerit labores vix dici potest: ut enim maxima illi erat apud omnes ab eruditione et pietate auctoritas, majora illi ac præcipua demandabant plerumque negotia, tantique eum fecit sacer ille Hispaniarum senatus, ut vel uni illius fidei commiserit novi prohibitæ lectionis fermentataeque doctrinæ librorum expurgatorii recensendum opus. His vacabat otio que litterarum nulla majora cogitans, adeo demisse de se sentiebat, cum anno MDCXLIII, circa pentecosten, a rege catholico Philippo IV deligitur, cui non sua tantum, sed semetipsum credit, cuius et in sinum cordis arcana deponat. Haud aliter regii delectus mandatique suscepit nuntium, quo e cella ad aulam, e schola et musæo ad regiam vocabatur et palatium, quam si capit is lata sententia fuisset, ita infremuit et indoluit; munus tamen seu potius onus subiit invitus, et superiorum imperio adactus, in eoque ita se gessit ut regiorum confessariorum haberi possit exemplar absolutissimum. Hæc ut nec cæteras ejus virtutes religiosamque ac serveriorem totius vitæ rationem fusius non prosequor, qui synopsin ejus vitæ ad caput tomij ejus ultimi theologici curis mei Jacobi Quetif editi præfixam dedi, quam qui plura volet lector consultat. Addo solum non diu eo munere functum; nam anno sequenti MDCXLIV, dum Fragæ, Aragoniæ regni haud ignobili loco ad Cingam posito, regi adest individuus æstuantis ardentissimæque febris typho correptus, intra paucos dies interiit xv junii, ætatis LV nondum plene exacto, vir sane longiori vita dignus, sed immortalitati jam maturus. Hæc ejus operum series:

1. *Artis logicæ I pars de Dialecticis institutionibus, quas summulas vocant*, Compluti, 1631 et 1634, in-8; Romæ, Manelphi, 1636, in-12.
 2. *Artis logicæ II pars in isagogen Porphyrii, Aristotelis categorias, et perihermenias ac posteriorum libros*, Compluti, 1632, in-4; Romæ, Manelphi, 1637, in-8; Matriti, 1640, in-4.
 3. *Naturalis philosophiae I pars, quæ de natura in communi, ejusque affectionibus disserit*, Matriti, 1633, in-4; Romæ, Manelphi, 1637, in-8; Cæsaraugustæ, 1644, in-4.
 4. *Ejusdem II pars, in VIII libros physicorum: iisdem locis eademque forma*.
 5. *Ejusdem III pars quæ de ente mobili corruptibili agit, ad libros Aristotelis de anima*, Compluti, 1635, in-4.
 6. *Ejusdem IV pars quæ de ente mobili animato, ad libros Aristotelis, de ortu et interitu, cum decem tractatibus de meteoris*, Compluti, 1634, in-4.
- Hæc vero omnia simul prodierunt Matriti, 1648, in-4; Coloniæ, 1638, in-4, tomis tribus; Romæ, Manelphi, 1636 et 1637, in-8, tomis IX; Lugduni, 1663, in-fol.
- Theologizæ tom. I*, Compluti, Ant. Vasquez, 1637; Januæ, 1654; Lugduni, Benedicti Guaschi, 1663, in-fol. ubique, in I. p. *D. Thomæ*, a q. i ad q. xv.
- Theologizæ tom. II*, Lugduni, Petri Prost, 1643; iterum Guaschi, 1663, in-fol. in I. p. *D. Thomæ*, a q. xv ad q. xxvii.
- Theologizæ tom. III*, Lugduni, apud eodem et toties, *De Trinitate et Angelis*, a q. xxvi et deinceps.
- Theologizæ tom. IV*, Matriti, 1645, in-fol. opus posthumum curis F. Didaci Ramirez, conventus de Atocha alumni, auctoris discipuli, S. Th. lectoris: ac iterum Lugduni, Guaschi, 1663, in-fol. *De ultimo fine et actibus humanis, in Primam secundæ D. Thomæ*, a q. i ad xxii.

Theologizæ tom. V, ibidem Matriti et Lugduni, iisdem annis et forma, in *Primam secundæ*, a q. xxii ad LXX, et a cix ad cxiv.

Theologizæ tom. VI, Matriti, eodem Didaco Ramirez editionem adornante et curante, 1649, in-fol. Iterum Lugduni, Cuaschi, 1663, in-fol. in *Secundam secundæ*, a q. i ad xxiii, et in qq. LXIV, LXXXI, LXXXIII, et LXXXVIII. Subjecit Ramirez *quæstiones quodlibeticas septem*, ex pluribus ab auctore olim agitatis selectas quas *expositivas* nuncupat.

Theologizæ tom. VII, Matriti, typis regiis, 1656, in-fol. eodem curante Ramirez; ac iterum Lugduni, Guaschi, 1663 in-fol. *De incarnatione, in tertiam partem, D. Th.* a q. i ad q. xxvi.

Theologizæ tom. VIII et ultimus, Parisiis, Antonii Bertier, 1667, in-fol. pp. 360, editio nem curantibus Francisco Combefis et Jacobo Quetif ex mss. auctoris: *De Sacramentis in genere, de eucharistia et de pænitentia*. Reliqua enim desiderantur.

Seorsim prodit, quem tom. I theolog. præmisit, tractatus de doctrina S. Thom. hoc titulo: *Speculum sine macula, id est, tractatus de approbatione, auctoritate et puritate doctrinæ D. Thomæ Aquinatis*, Augustæ Ubiorum, Jo. Busæ, 1658, in-8, pp. 174.

Quædam alia opuscula sermone vernaculo prodierunt.

TRES TRACTATUS
AD THEOLOGIÆ
TYROCINIUM PRÆMISS.

PRIMUS

UNIVERSUM TEXTUM MAGISTRI
sententiarum in ordinem redigit.

SECUNDUS

OMNIUM QUÆSTIONUM D. THOMÆ
et materiarum in sua summa connexionem explicat.

TERTIUS

VINDICIAS D. THOMÆ PRO DOCTRINÆ
eius puritate, probitate, et singulari approbatione offert.

ab eodem Auctore M. Fr. Joanne de Sancto Thoma collecti.